

minus fertiles, uineaceis et faece nimiae, contra pruinias fortissimae, siccitate magis quam imbre, aestu quam algore uexantur ; quam ob rem in frigidis umidisque principatum obtinent. Fertilior quae minor acino et folio scissa minus.

Apianis apes dedere cognomen, praecipue earum 24 auidae. Ex iis duo genera lanugine et ipsa pubescunt ; distant quod altera celerius maturescit, quamquam et altera properante. Situs frigidos non respuunt, et tamen nullae celerius imbre putrescunt. Vina primo dulcia austерitatem annis accipiunt. Etruria nulla magis uite gaudet.

Et hactenus potissima nobilitas datur peculiaribus 25 atque uernaculis Italiae ; ceterae aduenere. *E* Chio Thasoue Graecula non inferior Aminneis bonitate, praetenera acino et uua tam parua, ut nisi pinguissimo solo colere non proposit. Eugeniam Tauromenitani colles cum generositatis cognomine misere Albano tantum agro, quoniam translata statim mutatur. Namque est aliquis tantus locorum amor, ut omnem in iis gloriam suam relinquant nec usquam transeant totae. Quod et in Raetica Allobrogicaque, 26 quam supra picatam appellauimus, euenit, domi nobilibus nec agnoscendis alibi. Fecundae tamen bonitatis uice copiam praestant, eugenia feruentibus